

Miscella critica.

Poeta apud Charisium. De aliis quibusdam Grammaticorum Latinorum locis.

Sosipater Charisius, accuratus caeteroquin in citandis auctorum locis grammaticus, ut Virgilianis locis exceptis, quos multos non nominato Virgilio laudat, non facile auctorum omittat nomina, nonnulla tamen habet sine auctoris indicio, quae morantur legentem, quaerentisque nomen operam fallunt. Et Virgilium ut taceam, cuius nobis stilus fere tam notus est, quam fuit illi aetati, non multum difficultatis habet, quum *Terentium* Charisius laudat sine nomine, II. 209. extr. 215. 216. IV. 244. et 247. ubi dum *contra stimulum calces* scribit, ante animum habet *Advorsum stimulum calces* ex Phormione. Vel quum *Horatium*, IV. 238. 239. med. 240. med. 241. init. et *Ovidium*, IV. 249. med. *Ennium* etiam facile agnoveris aliorum comparatione scriptorum grammaticorumque: IV. 243. *Aio te Aeacida Romanos vincere posse.* 249. *endo suam do.* 251. ter: *Marsa manus, Peligna cohors, festina virum vis. O Tite tute Tati tibi tanta tyranne tulisti. Moerentes, flentes, lacrymantes, ac miserantes.* Et *Pacuvium*, nam Pacuvius videtur esse, IV. 240. extr. Ad *Attium* non male retulerunt versus tres *Vidi te* etc. IV. 252. *Astyanactem*, in cognomine fabula, vel alia, audire tibi videaris II. 216. *Heus heus pater, heus Hector.* Difficilius est de exemplo statuere *πρὸς θεῶν*, *Concium tetuli gradum*, IV. 248. quod *Catulli* esse perhibet Vossius de Analogia III. 37. p. 149. sq. praeunte Pierio in Virg. Aen. XI. 178. Sane *Concium tetuli gradum* bonus est glyconeus, vel pars versus

priapei, quò metro nonnulla scripsisse Catullum, nunc deperdita, constat. Verum Pierio quantum tribuendum sit, an in codice Charisii, quem se commodatum ab Iano Parrhasio habuisse, antiquum, litteris Longobardicis scriptum, ad Georg. IV. 34. Aen. II. 90. III. 91. V. 380. XI. 174. refert, nomen invenerit *Catulli*, ambigo. Locorum qui restant apud Charisium, sine nomine, unus est propter quem haec scribo, manifesto corruptus, IV. 254. ubi schemata, quae dicit, *διανοίας* persequitur:

Κατ' ἀνορίαν,

Luna, deum quae sola vides periuria vulgi,

Seu Cretea magis, seu tu Dictynna vocaris,

Huc descende. Certae rei dubitatio est.

Ibi *Creteam*, vel *Cretaeam*, vix quisquam tuebitur. Neque enim alibi hoc Lunae nomen, *Cretaea*, reperitur, neque, si reperiretur, aut si quis potuisse *Cretaeam* Lunam dici ex eo efficeret, quod Dianae cultus in Creta insula fuit, quicquam proficeret hoc in loco, ubi non epitheton de variis, quae variis in locis Diana sive Luna habuit, unum, sed nomen requiritur eiusmodi, quod statim per se ipsum deam significet Lunam. Praeterea displicet sic dictum *magis: seu magis Cretaea-vocaris*. Recepti locum in Fragmenta P. V. L. p. 388. Stephanus, sine animadversione. Qui alius attigerit, ut aliquid inde lucri facias, novi neminem praeter Iac. Nicolaum Loensem Misc. Epiphyll. VIII. 27. p. 627. a quo versus ille ita scriptus affertur, fortasse ex editione principe: nam in Basileensi a G. Fabricio iam editum est, quod ex Putschio exhibuimus, et coniecturam quominus putemus Iac. Nicolai esse, obstat nimis puerile vitium metricum: *Seu Cretaea mauiis, seu tu Dictynna vocari*. Emendavi:

Sive Hecate mavis, seu tu Dictynna vocari.

siuecate — seurete. Loquitur, ut videtur, pharmaceutria. Qua in re prorsus propria atque usitata *Hecates* appellatio est. Cf. Theocrit. II. 12. Quamquam Theocritus ibi Lunam, *Σελήνην*,

et Hecaten distinguit; latinus poeta Lunam et Hecaten, ut multi, eandem facit. Et omnino poetae latino, ut ostendunt verba *Huc descende*, dum Lunam invocat Deam, simul notum veneficarum, Thessalarum maxime, artificium ante animum versatur, lunam *deducendi*: qua de re propria Graecis apud Platonem, Aristophanem, Lucianum, alios, vocabula sunt *καθαιρειν*, *καθελειν την σεληνην*, vel *κατασπαρν*, vel etiam *καταγειν*, iisque respondentia Latinorum *deducere lunam*, quod poctis fortasse est usitatissimum, vel *deripere*, quod notum ex Horatio, vel denique *detrahere*, ut Plinius H. N. XXX. 1. *ambages feminarum detrahentium lunam*, et poeta in Anthol. Lat. V. 46, 20. ubi inter alia Burmannus sagae verba ex Petronii Satyrico c. 134. affert: *Lunae descendit imago Carminibus deducta meis*. Nihil eiusmodi apud Theocritum, ubi nihil nisi *lucem praebere* ex alto, *φαινειν*, Luna iubetur v. 14. et peractis sacris magicis Lunae vale dicit pharmaceutria v. 163. sqq. at Hecate adesse in trivio, dum procedunt incantamenta, fingitur v. 35. et 36. Illud autem commune poetae latino cum Theocrito, quod apud utrumque Luna conscia testisque amorum est. nam *periuria* apud poetam latinum haud dubie amantium sunt periuria, et apud Theocritum iterum iterumque infertur: *φράζέο μεν τον ερωθ' οθεν ηκετο, ποτνα Σελάνα*. Quo etiam referas Appuleium Apolog. p. 295. Elmenh. *Igitur ut solebat ad Magorum ceremonias advocari Mercurius carminum vector, et illex animi Venus, et Luna noctium conscia, et manium potens Trivia. Dictynna* usitatum poetis latinis nomen est, nunc, idque usitatissimum, ut Diana, nunc etiam ut intelligatur Luna. Ut in Ciri v. 304. 5. ubi de Dictynna Britomartide: *alii, quo notior esses, Dictynnā dixere tuo de nomine Lunam*. hoc est, puellae nomen transtulerunt in deam. Et Festus, quamvis inepta etymologia utens: *Dictynna Diana, quam esse lunam putabant, dicta, quod fulgore suo noctu omnia ostendat*. Et haec quidem sufficerent de *Dictynna Luna*. Addam alia duo non trita exempla: ver-

sum Marii Victorini II. 2537. P. *Dictynna decum progenies, aspice quis te chorus astris*; et quod accommodatissimum ad rem nostram exemplum, Senecae Tragici, apud quem operans sacris magicis Medea, ubi Lunam advocat, v. 750. seqq. nunc *Phoebe* dicit, nunc *Triviae currus*, nunc *Dictynna*, nunc *Persei et Hecate*.

Iam de auctore versuum illorum, esti lubricum est, in hac loci brevitate, aliquid dicere confidentius, hoc tamen tum colorem orationis in universum, tum maxime *tu* pronomini collocacionem, qualem ab Homero acceptam posteriores in elegantissimis numeraverunt, consideranti facile persuadebitur, versus esse aevo Augusti, vel eo quod proximum Augusto fuit, haud indignos. Equidem quum ita ratiocinabar, non reconditi alicuius poetae videri versus esse, sed eius, quo etiam alibi Charisius usus sit, dum poetas perlustro, quorum testimoniis uti solet Charisius, de Cornelio Severo cogitabam, quem quinques adhibet Charisius, I. 61. bis, 66. 77. 83. Atque ad idem poema, eundemque poematis locum, videbatur referri posse, quod ex Cornelio Severo apponit Charisius I. 66. *Igneae nam caelo ducebat sidera Phoebe, Fraternalis successor equis*. Neque illud, si quid amplius hariolari licet, ab adventu Hecates atque incantamenti alienum foret, quod ex eodem Cornelio Severo est apud Charisium I. 61. et Bedam, vel, ut Putschius, Incertum de Orthogr. 2801. *Et sua concordantes dant sibila clara dracones*. sive comitantes Hecaten serpentes cogitentur, ut est apud Horatium Serm. I. 8, 34. sive de evocatis et tractis magica arte et incantatis serpentibus, ut apud Senecam Medeae v. 684. sqq. et 705. et alios, sermo sit. Etsi plerumque hanc fuisse magici cantus in serpentes vim traditur, ut sistantur, consopiantur, vel etiam ut rumpantur. Sed hoc, ut dixi, hariolari est. Et illud ipsum, *Igneae nam caelo* etc. ita comparatum est, ut in multas noctis descriptiones conveniat. Praeterea quod ratiocinando efficiebam, Cornelii Severi hunc, de quo agitur, videri locum esse pro-

pterea quod Cornelio Severo etiam alibi utatur Charisius, valde incertum est. Quid enim, si alios Charisius auctores libro primo, alios quarto libro ante oculos habuerit? Nam profecto Charisius non ipse sua exempla congescit omnia, sed alios antiquiores grammaticos sequutus est. Ut de Analogia annotationes I. 93. seqq. ab C. Iulio Romano se assumpsisse discrete profitetur. In libro quarto multa esse Charisio cum Diomedis parte ea, qua genera loquutionum et schemata recenset, libro secundo, communia iam observavit G. Fabricius praef. in Charisium. Unde communem utrique, Charisio et Diomedis, hac quidem in parte fontem fuisse probabile est. Cogitaverunt viri docti de Commianiano; et sane Commianiani aliquoties mentionem facit Charisius. Diomedis rursus Charisioque similis Donatus est. Sic Ennii exempla, quae supra monstravi ex Charisio, partim Diomedes habet II. 436. 441. 442. 444. partim Donatus I. 1738. init. p. 6. ed. Lindem. et III. 1774. p. 31. sq. ed. L. Illud, *endo suam do*, praeter Diomedem, etiam Probus I. 1438. p. 99. ed. L. sic corruptum: *nanque suam do*; Marius Victorinus I. 2499. sic: *endo sua do*; et Consentius Cramerii p. 7. Pacuvii exemplum, Diomed. II. 447. etsi hoc Diomedes Ennio tribuit; apud Donatum non exstat, sed habet Pompeius Comment. Artis Donati loco olim prolato ab Ruhnkenio ad Iulium Rufin, p. 262. nunc p. 249. ed. Lindem. De *προοθέσει*, vel *προθέσει*, locum, in quo Catulli, ut perhibetur, mentio, Diomedes II. 435. extr. eundemque, si tamen idem est, misere contractum, ut non amplius poetae agnoscas manum, Donatus p. 1772. init. p. 29. Lindem. et Isidorus I. 34. p. 50. ed. Otton. et magis etiam contractum, Pompeius p. 446. Quid dubitem paullo post patefiet, ubi Donatum eiusque sectatores recedere a Charisio et Diomede hoc in loco, et aliis uti exemplis, probabili ratione monstrabo. Mirum versiculum, nam crediderim versum esse, *Ibant qua poterant, qua non poterant, non ibant*, Charisius IV. 242. Diomedes II. 444. Donatus 1770. p. 29. L. Add. Priscianus XVII. 1037. Vol. II, p. 5. Kr. apud quem *Ibant*

qua poterant, et qua non poterant, non ibant: ubi et fortasse ab ipso additum Prisciano est. Versus, *Tiphyn aurigam ce-leres fecere carinae*, et *Cumque gubernator magna contorsit equos vi*, Charisius IV. 243. et 244. Diomedes II. 451. priorem etiam Donatus 1775. p. 32. L. Versum, *Mater me genuit, eadem mox gignitur ex me*, Charisius IV. 247. Diomedes II. 458. Donatus 1778. p. 35. L. Memorabilis etiam Diomedis cum Charisio consensus ille, de quo Santenius monuit ad Terentian. M. p. 103. sq. De numeris quum nihil nunc sit in libris Charisii, fragmentum Charisii apud Rufinum p. 2719. (in Cicerone Orell. Vol. V. P. I. p. 190.) ita cum Diomedis III. 513. med. disputatione congruit, ut scite Santenius refingendum locum Charisii ex scriptura Diomedis statuatur. Taceo alia minus memorabilia exempla, et ordinem rerum saepe eundem, explicationesque locorum saepe ad verbum easdem esse. Saepe, non semper: c. g. Ennii versus *Aio te Aeacida* etc. Charisio et Diomedis itemque Isidoro I. 33. p. 50. Ott. amphiboliae, vel, ut apud illos scriptum, amphibologiae exemplum est, in capite de vitiis orationis, Quintiliano VII. 9, 7. praeceunte; at Donato, ut Probo I. 1589. p. 45. L. et Velio Longo de Orthogr. 2220. propter *i* litteram in verbo *Aio*, denique Prisciano, ubi de constructione agit, XVIII. 1137. tamquam *ὑπέρβατον* laudatur. Eiusdem versus *O Tite tute* etc. Charisio, Donato, Pompeio bis, Isidoro, tamquam *παρόμοιον*, Prisciano XII. 947. et in Lib. de duodecim versib. Aen. 1257. propter *tute* pronomen. Apparet autem, quam sit utilis haec, cuius specimina nonnulla dare placuit, grammaticorum inter se comparatio: tum ad emendandum, ut in illo versu, quem Diomedes Putschii ita corruptum ac mutilatum, *Cumque gubernator magno contorsit equo* (alii ante Putschium: *Cumque gubernator contorsit equos*), exhibet, emendandus e Charisio; quibus tertius est testis addendus Quintilianus VIII. 6, 9. tum ut intelligatur, uter de duobus ad communem fontem antiquiorem accedat propius, et sententiae grammaticorum ipsorum ut expli-

centur atque illustrentur. Veluti quod supra observabam, Charisio *contra stimulum calces* scribenti obversatum Terentium esse, confirmant Diomedes II. 458. extr. Donatus III. 1778. med. p. 35. L. apud quos *adversum st. c.* ut apud Terentium. Scilicet utrumque dici poterat latine, *adversum s. adversus stimulum calcare*, et *contra stimulum calcare*; atque hoc, *contra*, fortasse magis fuit in vita communi usitatum: quare sic Charisius, at Diomedes, Donatus, itemque Pompeius p. 478. proverbium ut est a Terentio conceptum praebent. rursus *contra* Isidorus agnoscit I. 36. p. 60. ed. Ott. *Pro deum atque hominum fidem*, notam ac multis usitatum locutionem, unde Charisius II. 209. extr. proferat, supervacanea videtur quaestio esse. Ego tamen supra ex Terentio habere, apud quem ea locutio luculento loco, in ipso Andriae initio I. 5, 11. exstat, Charisium statui, propterea quod et alibi Terentio non raro utitur Charisius, et hoc loco statim aliud a scena petitum exemplum subiicit. Neque obstat, quod eandem locutionem, *pro deum atque hominum fidem*, Priscianus XIV. 997. XVIII. 1207. Sallustii Catil. 20, 10. auctoritate comprobat: aliud enim Charisius exemplum, aliud Priscianus respicere potuit, et omnino non ea Prisciano cum Charisio similitudo et quasi affinitas intercedit, quam esse inter Charisium, Diomedem, Donatum observavimus. De prothesi quae Probus I. 1437. p. 98. L. praecipit, Charisii et Diomedis praecepto manifesto sunt similia, cognata non sunt, siquidem Probus locum Virgilii non cum, quo illi utuntur, respicit, sed alium, geminum, et pro illo, *conclitum tetuli gradum*, Terentii exemplum, *nunquam (huc) tetulisset pedem*, ex Andria, offert, quo Diomedes in alia disputatione I. 369. et II. 447. utitur. Rursus Donatus p. 1771. extr. p. 29. L. quamvis sit de prothesi brevis, de qua haec tantum pauca docet: *Πρόθεσις est appositio quaedam ad principium dictionis, litterae aut syllabae, ut gnato pro nato; tetulit pro tulit*: coniectura tamen ex iis facta, qui a Donato pendent,

Pompeio p. 445. 446. et maxime Consentio, illo quem Cramerus edidit, p. 5. assequi licet, quae ante oculos exempla scriptorum habuerit. Habuit autem non ea, quibus Charisius et Diomedes utuntur, neque ea, quibus Probus, sed haud dubie illa ipsa, quae nunc sunt apud Consentium et Pompeium: unum Virgilianum, magis exquisitum alterum hoc, ex ingeniosa Lindemanni in Pompeio emendatione: *Tetulit senilis Pocas ad coelum manus*. Ea, ut dixi, nunc apud Consentium et Pompeium prostant; olim fortasse apud ipsam prostabant Donatum. Quis integrum ab omni parte Donatum ad nos pervenisse, brevitatemque Donati, vel tenuitatem, quam aliquis non iniuria miretur hic illic, ubique ipsius esse brevitatem Donati affirmaverit? De emendandis ex se invicem grammaticis quod dixi, alio, antequam hanc disputationem relinquam, exemplo illustrabo. In Donato nuper Lindemannus, II. 12, 5. p. 19. suae editionis in Corpore illo, quo multum et iam meritus est de grammaticis latinis, et mereri pergit, ita ex suo codice edidit: *Sunt verba incertae significationis, ut tondeo, labo, fabrico, punio, munio, pario, populo, assentio, adulo, lucto, auguro*. *Haec omnia et in o et in r litteram finiuntur et his verbis tempora participiorum accidunt pacne omnia*. Quae si comparentur cum editione Putschiana, 1756. extr. in qua verba enumerantur haec: *tondeo, labo, fabrico, punio, munio, patior, munero, populo, assentior, adulo, lucto, arguo*: unum manifestum est, recte Lindemannum *auguro* exhibuisse pro eo, quod apud Putschium, *arguo*. etsi hoc quidem etiam sine libro scripto corrigi poterat ex editis ante Putschium exemplaribus, quod genus penitus negligi nolim, ut apud me Haganoensi Ioannis Caesarii, et Ascensiana a. 1516. In reliquis ut non satis facit Putschius, ita nec codici illi fides habenda est. Quae enim haec verborum consociatio est? Quid *labo*, quid *munio* et *pario* cum caeteris verbis commune habent? Apparet accurate illud quaerenti, quid sint verba *incertae*.

significationis, eiusmodi verba cogitare Donatum, quorum praesens utramque terminationem, et in *o*, et in *or*, et hanc quidem cum activa vel etiam media significatione, admittit. Atque eiusmodi illa sunt omnia: *fabrico fabricor, populo populus, assentio assentior, adulo adulator, lucto luctor, auguro auguror*, et *punio punior*, quod *punior* non solum passivum est, sed etiam testante, ut unum commemorem, Nonio active usurpatur; et *tondeo tondeor*, ut apud Livium XXVII. 34, 6, iam vetus dubitatio est, utrum *tondere* scribendum sit, an *tonderi*. Ab his prorsus abhorrent *munio, pario*, et, quod frustra aliquis Prisciani VIII. 803. et Macrobiani apud Putschium 2767. auctoritate, diversa verba *labo et labor* inter se comparantium, defenderit, *labo*. Iam hoc, *labo*, corruptum esse, et quid restituendum esset, *lavo*, dudum intellexit Vossius de Analogia III. 3, p. 11. Consentio adhibito. Illud non vidit Vossius, aut non diserte monuit, etiam alio modo necessariam Donato ac salutarem Consentii comparisonem esse. Enimvero Consentius etiam ista parum commoda, *munio, pario*, vel, ut apud Putschium, *patior*, removet; verbaque pro his ea, quae apud Donatum legebat, reddit: p. 2054. *Sunt etiam verba incerta significatione, vel ambigui generis inter neutrale genus et deponens, ut tondeo, lavo, fabrico, punio, munero, partio, populo, adsentio, adulo, lucto, auguro, etc. Haec omnia sub eadem vi et in r litera finiuntur, ut tondeor, et reliqua. Adde Cledonium p. 1916. Sunt verba incertae significationis, ut tondeo, lavo, fabrico, punico, munero, populo, partio, adsentio, adulo, auguro, utrum activi an passivi. ubi unum, sive librarii sive editoris culpa, excidit lucto: Cledonium illud non omisisse sequentia ostendunt, ubi exempla profert huius verbi. punico, pro punio, erratum ex similitudine verbi quod praecedit fabrico. Adde Sergium p. 1849. Verba quorum declinatio in nostra potestate est, sunt haec, tondeo, lavo, fabrico, punio, et reliqua. reliqua dicit ea, quae sequuntur apud Donatum. Denique qui mul-*

tus est de his verbis, Pompeius p. 308. seqq. eadem verba, *tondeo, lavo, munero, partio*, etc. agnoscit. Non attinet alios conquirere, qui verba generis huius nunc eadem, quae Donatus, nunc alia proferunt, ut Diomed. II. 377. cui haec, *assentio assentior, munero muneror*, Priscian. VIII. 799. cui haec, *partio partior, munero mineror*, cum Donato communia. Pompeio, ut hoc obiter moneam, quae p. 310. ponit verbi *partio partior* exempla, cum Cledonio l. l. 1916. med. communia sunt: unde lux oboriri videtur, atque castigandi opportunitas, Probi loco 1483. extr. p. 139. L. ubi *partiverant* nunc Ciceroni tribuitur, quum sit ex Sallustii Jug. 43. loco, quem Cledonius et sine nomine Sallustii Pompeius laudant. Quod ibidem explicat Pompeius, *balineum lavat*, conferendum est cum Sergio l. l. et cum antiquiore Charisio IV. 239. med.

ἀνορίας schema, quod Charisius commemorat, vel, ut alii, *διανόρησιον*, Latini *dubitationem, addubitationem*, Diomedes non habet, neque Donatus, at rhetores habent, quos monstrat Spaldingius ad Quintilian. IX. 2, 19. et praeter hos alii: Lib. IV. ad Herenn. 29. Hermogenes de formis orat. II. 7. p. 439. ed. Laurent. Exemplo equidem defungar uno, Horatii Carm. saecul. 13. *Rite maturos aperire partus Lenis Ilithyia, tuere matres; Sive tu Lucina probas vocari, Seu Genitalis*, vel, quoniam his certe argumentis, quae a nonnullis prolata video, nondum profligata ac perdita res Bentleii est, *seu Genetyllis*, ubi Lambinus illius nostri poetae *ἄνωρίμων* versus *Luna, deum quae sola* etc. ut vulgo leguntur, et Horatium Sat. II. 6, 20. *Matutine pater, seu Iane libentius audis*, laudat, Mitscherlichius inter alia Appuleium Metam. XI. init. quo loco Lucius, in sollemni precatatione, nomina Lunae deae varia, variosque secundum ea nomina ritus ac munera persequitur.

Hesych. v. ἐτνήρουσις.

In Acharnensibus, ubi Dicaeopolidis filia in apparatione pompae haec matri dicit v. 245. ὦ μήτηρ, ἀνάδος δεῦρο τὴν ἐτνήρουσιν, ἔν' ἔτνος καταχέω τοῦλατῆρος τουτουί, vix cuiquam dubium esse potest, quid sit ἐτνήρουσις. Scilicet ἐτνήρουσις, notum graecis hominibus ipsa conformatione sua vocabulum, quippe rite factum, ut οἰνήρουσις, quo Aristophanes loco inferiore v. 1067. et quo alii utuntur, ζωμήρουσις, agnitumque ex hoc loco, vel etiam aliunde, Photio, Etymologo M. p. 387, 5. Phrynicho Bekkeri Anecd. I. p. 39, 15. Polluci VI. 88. X. 98. instrumentum significat ad eam rem, quam peractura puella est, idoneum ac proprium: trullam, qua pulcem hauriebant ex olla. Hoc tantum tum ex scholiis ad locum Aristophanis, tum ex Photio Etymologoque, tum ex Hesychii loco statim laudando, si ibi tam est verum, quam est veri simile supplementum Musuri, haud inepte addideris, minus usitatum fuisse ἐτνήρουσιν vocabulum, quam ζωμήρουσιν sive ζωμάρουστρον: et sane quo ad ζωμόν, ius, hauriendum utebantur instrumento, eodem etiam ad pulcem hauriendam uti potuerunt, et usi sunt haud dubie multi, ut fortasse ἐτνήρουσις et ζωμήρουσις nihil sint nisi rei eiusdem appellationes diversae. Verum praeter hoc ille, quem paullo ante commemoravi, Hesychius, aliud, idque prorsus novum docere videtur. Ita enim Hesychius:

Ἐτνήρουσις. ἔπαιξεν Ἀριστοφάνης, ἀντὶ τοῦ φάναι τὴν σαυίδα, τὴν ἐτνήρουσιν εἰπών παρὰ τὸ ἔτνος. ἔστι δὲ ἐτνήρουσις. . . [ἢ ζωμάρουστρον. supplementum Musuri. possis etiam ἢ ζωμάρουστρον ex schol. Aristoph.]

Quae explicatio si ad locum pertinet Acharnensium, quae fuit virorum doctorum opinio, dum novam polliceri lucem videtur, inexplicabilem Aristophani obscuritatem inducit. Nam σαυίδα, tabulam, asserem, quonam sensu dixisset Aristophanes, ubi de haurienda pulte agitur? Et omnino nihil quic-

quam *lusit*, *ἔπαιξεν*, hoc loco Aristophanes, sed vocabulum posuit, ut dixi, si non multum usu tritum, at tamen minime ambiguum, ea in re, quam agit, proprium, *ἐπνήρουσιν*. Ut si quis corruptum *σανίδα*, et reponendum esse aliud vocabulum dicat, desperandum sit, usquam inventum iri vocabulum, pro quo hoc quidem in loco *ludens ἐπνήρουσιν* dixerit Aristophanes. Igitur recte nuperrime Guilielmus Dindorfus in Fragmentis Aristophanis p. 229. errare, qui ad Acharnenses referant verba Hesychii, pronunciavit. Nunc videndum, quem alium Aristophanis locum ante oculos habuerit Hesychius, aut, quoniam non exstat locus, qualis ille esse debuerit. Et hoc quidem, corruptum esse *σανίδα* vocabulum, Elmsleius statuit haud cunctanter, neque ullam puto ea de re posse dubitationem esse. Ego *τὴν ἀμίδα* repono, vel, quo fortasse facilius caussa declaratur corruptionis, *τὴν ἀμίδα*. Quo iocum efficimus nequaquam indignum Aristophane. Micturiens aliquis, quum non adesset matula, poscebat, quae tum forte aderat, *ἐπνήρουσιν*. Vel laboranti alter offererat *ἐπνήρουσιν*. Illud nemo obiecerit, nimis exquisitum esse in Hesychio *ἀμίδα* vocabulum. Est sane *ἀμῖς* antiquum vocabulum, quod et ipsum dignum glossemate habuerunt grammatici: *ἀμῖς· οὐρητρίς, οὐρητὸν ἀγγεῖον*, vel *οὐροδόχον ἀγγεῖον*, vel sic: *ἀμίδας τὰ ὑπερήσια, τὰ οὐροδόχα ἀγγεῖα*. et ipse Hesychius suo loco: *ἀμῖς· σταμνίον*. Sed idem etiam recentioribus scriptoribus, ut Athenaeo, usitatum vocabulum fuit, et grammaticis, ut Phrynicho p. 400. Lob. unde Hesychius eo ad explicationem utitur v. *βυτίνη* et v. *πυτίνη*. Praeterea tenendum est non tam cum eo qui nunc vocatur Hesychio hic nobis rem esse, quam cum alio antiquiore grammatico, quem exscripsit Hesychius: is igitur antiquior in declaranda Aristophanis sententia apte eo, quod Aristophani usitatum sciret, vocabulo usus est.

Non rarum est, matulam posci, apud Comicum. *εἶτ' ἤτησεν ἀμίδ'* est in Ranis v. 544. cf. Vesp. 807. 935. Qui isti

ioco, quem ex Hesychio eruimus, similes essent, duo se non quaerenti obtulerunt loci Aristophanis. Non quaerenti, inquam: fateor enim iocum esse eiusmodi, quem non expectes saepius repetitum vel cupide frequentatum ab Aristophane esse, scilicet ab illo Aristophane, qui ut in argumentis fabularum excogitandis inventorem se esse, neque his terve eadem, sed semper *καινάς ιδέας*, et *φορτικῆς κωμωδίας σοφώτερα*, proferre non uno loco gloriatur, ita in singulis iocis plus quam alios se sapere, et frequentato ab aliis iocorum generi, *ἐφ' οἷς αἰεὶ γελοῖσιν οἱ θεώμενοι*, et risui Megarico, alias ingeniosius excogitatas facetias se substituere significat. Sed tamen ab illo rudiore genere prorsus se abstinere neque potuit neque voluit. Itaque simile est fragmentum ex Dramatis sive Centauro, apud G. Dindorfium, III.

ἀλλ' εἰς κάδον λαβῶν τιν' οὔρει πίττινον.

non veram intelligi matulam additum *τιν'* et tota sententia declarat. Deinde in Thesmophoriazasis v. 633.

σκάφιον Ξένυλλ' ἤτησεν οὐ γὰρ ἦν ἀμίς.

simillimus, vel potius geminus ac par illi nostro iocus, si vera ibi esset proposita a Biseto vocis *σκάφιον* explicatio haec: *σκαφίς, ξύλινον ἀγγεῖον, στρόγγυλον, γάλακτος ἢ ὄρου δεκτικόν*. Verum ea explicatio, quam Bisetus ab Eustathio in Odyss. XV. p. 1775, 25. mutuatus est, ad Odyss. IX. 223. pertinentem, nihil ad Aristophanis locum, in quo quid sit *σκάφιον*, scilicet matulam esse, sed eam, qua mulieres utuntur, diversam forma ab *ἀμίδι*, certum videtur diserto Pollucis testimonio, haec ipsa verba, *σκάφιον Ξένυλλ' ἤτησεν οὐ γὰρ ἦν ἀμίς*, tamquam ex Aristophanis Polyido proferentis X. 45. Atque hanc explicationem etiam Bisetus, ut puto, praeserebat alteri. Cf. Etymol. M. p. 715, 55. in v. *σκαφίς*, Lex. rhet. Bekkeri I. p. 301, 30. et qui ita loquitur, ut locum aliquem ex comoedia ante oculos habuisse videatur, fortasse illum ipsum ex Thesmophoriazasis, Photius v. *σκάφιον*. in quo hoc

tantum mireris, quod quasi dubitanter τάχα dicit: σκάφιον τάχα λέγει τὸν κάδισκον, ᾧ καταχέονται αἱ γυναῖκες ἔχει γὰρ τι ἐμφορὸς πρὸς τὸ σκάφος, ὃ ἔστιν εἶδος τι πλοίου. Lusus autem Aristophanis, nisi fallor, in eo versatur, quod confunduntur diversa matulae genera, ἀμῖς, quae virorum, σκάφιον, quod mulierum est. Namque mulieribus postquam incidit suspicio, Mnesilochum, qui muliebri habitu indutus in coetum se mulierum insinuaverat, virum esse, interrogatus Mnesilochus, quid primum egerint in sacris superioris anni mulieres, ἐπίνομεν respondet; deinde, quid alterum, interrogatus, rursus: προὔπινομεν; denique quum interrogat mulier, quid tertium, Mnesilochus, ut mas, oblitus se mulierem agere, respondet: σκάφιον Ξένυλλ' ἤτησεν οὐ γὰρ ἦν ἀμῖς: debuerat enim contrarium in modum, ἀμίδα Ξένυλλ' ἤτησεν οὐ γὰρ ἦν σκάφιον, quum ἀμῖς virorum sit, ut vidimus, σκάφιον mulierum. Atque hinc est, quod statim quae instituerat examen mulier: οὐδὲν λέγεις, et hunc virum esse exclamat. Quod ex Polyido hunc versum, σκάφιον Ξένυλλ' etc. laudat Pollux; memoriae errori tribuit G. Dindorfius Fragm. Aristoph. p. 171. Ac fortasse etiam in Polyido mentio σκαφίου, quae eiusdem Dindorfii coniectura est, vel locus in universum huic, qui est in Thesmophoriazasis, similis, ἀμίδος et σκαφίου coniunctione, fuit. Brunckius eundem versum in binis exstare fabulis, Thesmophoriazasis et Polyido, potuisse existimabat.

Ut semel ad coniecturam illam meam revertar, ita fert natura comoediae, ut saepe in vita domestica, cuius comoedia est imitatio, ubi ad manum non est, quo opus, vas sive instrumentum, pro eo aliud, primum obvium, quod eundem praestet usum, adhibeant. In mentem venit lepidam, sed modestius illo nostro exemplum, Platonis Comici apud Athenaeum XV. 666. D. ubi in mortarium, θυνείαν, ludunt, quibus non praesto est κότταβος sive κοττάβιον. Memini cum multa voluptate, quum eo de loco coram Hermanno ego et

Meinekus disputabamus. Et *παιστέον* feliciter inveneram : non sane magnum inventum, quum *παῖς τεόν* oblitteratam a Casaubono librorum scripturam mihi praeberet editio, qua utebar, Basileensis. Cuncta restituebat Hermannus: B. *ἀλλ' ἂ νόμος ἔστ'*; A. *ἀλλ' εἰς θυείαν παιστέον. φέρε τὴν θυείαν* etc.

De loco quodam Vitae Aeschyli.

Siculi itineris Aeschylo alius aliam, ut refertur in Vita Aeschyli graeca, quae quidem, ut nunc concepta est, unum tantum diserte agnoscit iter Aeschyli, fuisse caussam tradebat; nonnulli hanc, terrorem quem ille repraesentandis Eumenidibus excitasset. *τινὲς δὲ φασιν ἐν τῇ ἐπιδείξει τῶν Εὐμενίδων σποράδην εἰσαγαγόντα τὸν χορόν, τοσοῦτον ἐκπλήξαι τὸν δῆμον, ὥστε τὰ μὲν νήπια ἐκψῦξαι, τὰ δὲ ἔμβρυα ἐξαμβλωθῆναι.* Et hoc quidem, de terrore in universum, etiam Pollux testatur noto loco IV. 110. Propria Vitae, praeter caussam, quam illa affert, terroris, *σποράδην* introductum chorum, haec sunt duo: quod eum fuisse terrorem tradit, ut infantes animam efflaverint, mulieres abortum fecerint; deinde quod ea de caussa Aeschylus in Siciliam abiisse perhibetur. Quorum illud non serio accipiendum, sed natam ex epigrammate, vel fictam epigrammatis in modum narrationem esse, nemo facile nunc est qui dubitet. Verum si hoc, vehementer etiam periclitatur alterum. Si enim ea narratione haec tantum simplex sententia atque hoc factum continetur, permagnum spectantium, quum Eumenidas Aeschylus introduceret, terrorem fuisse, quid potuit in eo terrore esse, propter quod solum vertere poeta debuerit? Aliud est, quum mulctam Phrynicho dictam ab Atheniensibus legimus, quod nimiam in spectatoribus miserationem commovisset Excidio Mileti. Quare rectissime viri docti aliam itineris, huius quidem posterioris, quod post actam Orestiam suscepit

Aeschylus, caussam circumspexerunt. Sed quid si non dixit Scriptor Vitae illud, quod dicere visus est viris doctis? Diu est, quum aliquid turbatum esse in Vita Aeschyli, deque infantibus et mulieribus narrationem tollendam ex eo nexu, in quo nunc legitur, coniuncta cum disputatione de itinere Siculo, et transferendam esse alium in locum, in quem sit aptior, suspicatus sum. Adscribam omnia, ita ut his ponam illa, in quibus turbatum fuit: primum eo loco, quo illa ponenda sunt ex mea sententia, deinde uncis inclusa altero, in quem male illata sunt a librario. Qua in re negligi nolim, quod Hermannus De choro Eumenidum Diss. I. p. 7. et II. p. 11. Opusc. II. p. 128. et 148. testatur, egregie comparatum ad commendandam coniecturam nostram, non in omnibus libris legi ista. Itaque sic fortasse haec res acta est. Verba *τινὲς δὲ φασιν ἐν τῇ ἐπιδείξει τῶν Εὐμενίδων* etc. quum librarius margini apposita in codice antiquo invenisset, quo ea pertinerent nescius, male cum in locum intulit, ubi de Siculo agitur itinere: ut iam sic posita caussam continere itineris illius videantur, quum recte ac suo loco collocata praecedentem de terriculis Aeschyli scenicis disputationem illustrent. — *διὸ ἐκλογαὶ μὲν παρ' αὐτῷ τῇ κατασκευῇ διαφέρουσαι πάμπολλαι ἂν εὐρεθεῖεν· γνώμαι δὲ ἢ συμπάθειαι, ἢ ἄλλο τι τῶν δυναμένων εἰς δάκρυα ἀγαγεῖν, οὐ πάνυ ταῖς τε γὰρ ὄψει καὶ τοῖς μύθοις πρὸς ἐκπληξιν τεραιώδη μᾶλλον ἢ πρὸς ἀπάτην κέχρηται. τινὲς δὲ φασιν ἐν τῇ ἐπιδείξει τῶν Εὐμενίδων σποράδην εἰσαγαγόντα τὸν χορόν, τοσοῦτον ἐκπληξαι τὸν δῆμον, ὥστε τὰ μὲν νήπια ἐκψῦξαι, τὰ δὲ ἔμβρυα ἐξαμβλωθῆναι. Ἀπῆρε δὲ πρὸς Ἰέρωνα τὸν Σικελίας τύραννον, κατὰ τινος μὲν, ὑπὸ Ἀθηναίων κατασπουδασθεῖς καὶ ἡσοσηθεῖς νέφοντι τῷ Σοφοκλεῖ, κατὰ δὲ ἐνίους, ἐν τῷ εἰς τοὺς ἐν Μαραθῶνι τεθνηκότας ἐλεγείῳ ἡσοσηθεῖς Σιμωνίδῃ· τὸ γὰρ ἐλεγεῖον πολὺ τῆς περὶ τὸ συμπαθὲς λεπτότητος μετέχειν θέλει, ὃ τοῦ Αἰσχύλου, ὡς ἔφαμεν, ἐστὶν ἀλλότριον. [τινὲς δὲ φασιν ἐν τῇ*

ἐπιδείξει τῶν Εὐμενίδων σποράδην εἰσαγόντα τὸν χορόν, τοσοῦτον ἐκπλήξαι τὸν δῆμον, ὥστε τὰ μὲν νήπια ἐκπύξαι, τὰ δὲ ἔμβρονα ἔξαμβλωθῆναι.] Ἐλθὼν τοίνυν εἰς Σικελίαν, et quae seq.

Codicem equidem novi unum, qui verba *τινὲς δὲ φασιν* — *ἔξαμβλωθῆναι* omittit: Cantabr. 2. apud Butlerum. Praeterea, quae res fortasse aliquid ad hanc disputationem momenti affert, idem codex, Butlero testante, etiam priora, *ταῖς τε γὰρ ὕψει καὶ τοῖς μύθοις πρὸς ἔκπληξιν τερατώδη μᾶλλον ἢ πρὸς ἀπάτην κέχρηται*, omittit. Coniicias inde librum, ex quo Vita haec, quae in Cant. 2. legitur, descripta est atque excerpta; antiquiorem eo illa modo inter se nexa habuisse, quo nectenda esse dixi: *ταῖς τε γὰρ ὕψει — κέχρηται τινὲς δὲ φασιν* — *ἔξαμβλωθῆναι*. Omisit autem haec omnia is, a quo codex Cant. 2. scriptus est, non negligentia, ut puto, sed quod ea non necessario ad vitam pertinere Aeschyli censeret. ut idem praecedentem locum de βάρει personarum Aeschyli concidit atque in breve coegit. At de itinere locum sedulo conservavit.

A. F. N.